

LXVIII. Illud nonnihil difficultatis habere videtur, quod quidam occasione loci *Cap. VI. ad Ebr. Qui gustaverunt virtutes futuri seculi; docuerunt, fideles in hac vita beatitudinis cœlestis in altera vita, non tantum aliquam speciem, sed ipsasmet virtutes, & bona ipsa cœlestia percipere, imo intimis veluti medullis excipere, ac si delicias illas de ligno vitæ, Apoc. II, 7. 17. manna absconditum & aquas vivas fluvii crystallini de throno Dei & Agni procedentes degustarint, iisdemque se refecerint. Apoc. XXII, 7. πρὸς γευσμα & ποτισμὸν suavitatis bonorum cœlestium sentiendo & experiendo.* Sed quando certum est, hypothesein Quakeris receptam de visione Dei intuitiva in hac vita fidelibus conferri solita, non solum non probari illis, sed refutari: non est, cur verba illa nostræ & aliorum nostratium sententiæ obesse putentur. Nam & hoc potius observandum, proferri talia in oppositione ad Reformatorum aut Calvinianorum sententiam, qui, ut veram de fide προσαίρεω doctrinam declinare possint, verba Apostoli de *prægustu virtutum futuri seculi* sic exponunt, quasi non denotetur interna ac spiritualis quædam operatio Spiritus S. atque ejus sensus aut perceptio in animo hominis sed quaecunque initium, species aut simulacrum fidei, a fide vera ac plena distinctum. seu *levis & tenuis quidam gustus* aut cognitio *suavitatis vitæ æternæ*, quæ non habeat adiunctam *immutationem voluntatis ad diligendum Deum pro tanto beneficio*; quemadmodum Piscator statuit: ad cuius erroris exclusionem; seu in oppositione ad illum, negatur, illos, de quibus Apostolus loquitur, *tantum speciem aliquam beatitudinis percepisse*; quippe qui ipsa bona cœlestia intimis medullis perceperint; quod etiam deinde exponitur de *gustu donorum cœlestium per veram fidem & agnoscitur, fidem a visione intuitiva distingvi.* Nempe quamvis cognitio hujus vitæ, quæ abstractiva est, aut per speculum fit; plurimum differat a visione, quæ fit facie ad faciem; conveniunt tamen in esse supernaturali ac dependentia a peculiari, benigna ac vires nostras naturales transcendente operatione Dei in nobis: conveniunt etiam, quod utrinque cognitio non est otiosa, sed amorem, aliosque actus voluntatis secum

secum